

post hanc igitur vigere non potest.

2°. Si Indicis excommunicatio adhuc vigeret, legentes libros haereticorum et apostatarum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, duplicem excommunicationem incurrerent, Indicis, scilicet, et Pianae Constitutiones; quod admitti nequit.

3°. Commentatores omnes Constitutionis Pianae in re affirmanda plane sunt concordantes. Unum Ballerini citabimus in notis ad Theologiam Moralem P. Gury *Vol. II, pag. 1013*. « Cessat igitur, inquit, » poena excommunicationis ipso facto incurrendae, licet non reservatae, qua iuxta regulas Indicis prohibiti erant libri omnes haereticorum, sive eorum, qui haereticorum capita aut duces censentur; tum etiam libri haereticorum, qui de religione ex professo tractarent; vel etiam libri auctoris sive haeretici, sive non haeretici ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnati atque prohibiti. » De hac re dubitare non possumus.

4°. Decem Indicis Regulae in subiecta materia nihil omnino continent, cum numquam de ephemeridibus loquantur, at tantum de libris, opusculis, libellis.

Quod si regula X praescribitur: « In librorum, aliarumve Scripturarum impressione servetur quod in Concilio Lateranensi sub Leo-

» ne X (Sess. X) statutum est »; praeterquamquod per verbum *Scripturarum* intelligenda sint manuscripta, et minime ephemerides typis editae, hac regula afficiuntur uni typographi et manuscriptorum, id est operis aut scripturae typis edendae auctores, qui id facere audent, Romae quidem, sine approbatione vel E^mi Urbis Vicarii aut Magistri S. Palatii apostolici facultate, extra, sine Episcoporum licentia. Utique hac in regula nominantur libelli, at manuscripti, qui sine praescripta approbatione divulgentur; *eos vero qui libellos manuscriptos vulgant*; atque excommunicationis poena fertur contra auctores, non lectores. At ephemerides a Pio IX proscriptae per litteras datas ab E^mo Urbis Vicario, neque vocari possunt, neque sunt libelli, aut manuscripta, et cum sermo sit de ephemeridibus determinatis, verba extendi nequeunt ad alia.

Non negamus utique sub fine harum regularum legi « Quod si quis libros haereticorum, vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incidat. »

At quisque videt, in prima parte recitati textus sermonem esse de libris proprie dictis, quorum lectio secunda Indicis Regula interdicitur; in alia autem parte de scriptis, id est opusculis, libellis certorum au-

ctorum, *cuiusvis auctoris*, damnatis ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem, quorum tantum mentio in praecedentibus fit regulis. Consequenter eiusmodi dispositio non potest ad ephemerides referri tum ob rationes supra expositas, tum quia conclusio legis, qua summam recensentur ea quae in legis corpore decreta sunt, ad haec tantum referri potest; non ad alia praesertim nova, et de quibus nullus sit in praecedentibus sermo.

Post haec licitum erit inferre, quod cum in decem Indicis regulis numquam fiat de ephemeridibus mentio, verba Pii IX quae has tantum afficiunt, rationabiliter referri non possunt ad Regulas Indicis.

Hoc tamen minime inficiamus, in Decretis de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis §. 1 n. 6, prohibita reperiri *Carmina narrationes, imagines, libri, in quibus eorum fides, ac religio commendatur*; n. 8: *Colloquia, conferentiae, disputationes*; n. 9: *Confessiones, articuli, sive formulae fidei eorumdem*.

At difficultas quae exinde fortasse urgeri posset, corrui si ad titulum paragraphi attendamus, qui ita iacet: *Libri ab haereticis scripti, vel editi, aut ad eos, sive ad infideles pertinentes, prohibiti*; quibus verbis, quae manifestam relationem habent ad regulam secundam, prohibentur libri et scripta manifestorum haereticorum; ita ut satis sit nosse, eiusmodi libros, conferentias,

colloquia etc. edita fuisse ab haereticis manifestis, ut prohibita censentur et sint. At eiusmodi lege non comprehenduntur ephemerides, de quibus loquimur, quia, ceteris praetermissis, nec quilibet earum numerus haeresim continet, neque secta dignoscitur ad quam pertineant auctores, quin imo plerumque hi minime cognoscuntur, neque antea scitur an haeresim numerus hic vel ille propugnet; ita ut condiciones ab titulo paragraphi cit. requisitae minime circa ephemerides adimpleantur.

Neque nobis solidum videtur ratiocinium quod cl. Ballerini urget in notis ad Theologiam moralem P. Gury *Tom. 11, pag. 1013 Not. a*, quo loco scribit: « Qua de re illud » animadversione dignum plane est, » quod cernimus in *Decretis de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis*. Nam §. 1 praefigitur titulus *Libri ab haereticis scripti vel editi*; deinde n. 6 legitur: *Carmina, orationes, imagines*; et n. 9: *Confessiones, articuli, sive formulae fidei*. Ergo in Decretis de librorum lectione *Libri* nomen ad ista quoque se extendit. Idipsum dicito de §. 2, cui titulus: *Libri certorum argumentum prohibiti*. Attamen videtur inibi (nn. 5. 6. 7.) memorerari *libellos, epistolas, ordinationes, arresta, decreta, litteras*. Ergo siquidem in Decretis, quae librorum lectionem etiam sub censuris damnant, existimandum

» sit, *Libri* nomen eo sensu usur-
 » pari, quo in Decretis huiusmodi
 » adhiberi generatim solet, inane
 » videri poterit argumentum ab
 » aliis petatum ex vulgari libri ap-
 » pellatione, quo nimirum a con-
 » demnatione, poenisque adiectis,
 » lectio epistolae, carminis, oratio-
 » nis, ephemeridis cuiuspiam exi-
 » matur. Idque alia ratione confir-
 » mari potest. Nam, inspectis de-
 » cretis satis patet, nomine *libri*
 » intelligi quiddam demum, cuius
 » lectio in fidei ac morum detri-
 » mentum et corruptelam confert.
 » Atque id non solum scriptis, qui
 » vulgariter *libri* nomen habent,
 » sed cuius scriptiunculae conve-
 » nit. Ergo. »

Atqui huic doctissimi viri ratio-
 cinio responderi potest 1°. tum an-
 tiquis Sacrorum Canonum Tracta-
 toribus, tum Commentatoribus pro-
 pemodum omnibus Piana Constitutio-
 nis, quos citavimus, perspetas
 fuisse regulas Indicis, locaque
 ipsa a cl. P. Ballerini adducta, at-
 tamen in ea constitisse sententia,
 ut ephemerides sub latis in Indice
 censuris non comprehenderent.
 2. Neque id ratione qualibet desti-
 tuti peregerunt; animadverterunt
 enim, illorum decretorum condito-
 res materias disposuisse ad tramites
 regularum Indicis; et quoniam Re-
 gula II prohibebantur libri haere-
 ticorum, ita constituere quaenam
 alia ab haereticis divulgata sub illa
 regula comprehendi deberent; atque
 hinc materias singulas suo nomine

vocant, quin aut insinuent, aut prae-
 tendant eas quoque *libros* esse vo-
 candas. Id tantopere verum est, ut
 n. 6 quo prohibentur *carmina, nar-
 rationes, orationes, imagines*, pro-
 hibentur etiam *libri, in quibus eo-
 rum fides ac religio commendatur*.
 Num ne in carminibus, narrationi-
 bus, orationibus, imaginibus nequi-
 bant haeretici propriam fidem com-
 mendare et propugnare?

Utique poterant. Attamen aucto-
 res decretorum illorum scripturas
 omnes ab haereticis evulgatas di-
 verso nomine appellant, dum li-
 bros proprie dictos *libros* vocant.
 Ratione igitur tituli affirmari non
 potest, illis in decretis uti libros
 haberi formulas, articulos, sermo-
 nes, multo minus imagines.

Insuper animadvertimus, ratio-
 cinium adductum consistere non pos-
 se quin supponatur quod in quae-
 stione versatur. Reapse uti in prae-
 fatione decretis illis praemissa di-
 citur; ideo ipsa adduntur, atque
 ratione materiae distinguuntur, quia
 possibile non erat propter ingen-
 tem scriptorum haeticorum nu-
 merum, omnia in Indice librorum
 prohibitorum recensere: *cum sin-
 gillatim describi in Indice propter
 ingentem numerum non possint*.
 At certum est, in Indice referri
 genus quodlibet scriptorum perni-
 ciosorum, quin exinde eorum na-
 tura aut nomen mutetur, Pasquil-
 lus ex. gr. manet pasquillus etiam
 in Indice relatus, atque ita dicatur
 de articulo, de carmine etc. At si

adductum ratiocinium admittatur,
 dicere deberemus, omnia opuscula
 carmina, libellos, articulos etc. in
 Indice relatos in libros commuta-
 tos fuisse eo quod inscribatur: *In-
 dex librorum prohibitorum*. At haec
 est quaestio, quae numquam di-
 rempta fuit; et quamvis eam ap-
 prime cognoscerent doctores anti-
 qui et recentiores quos citavimus,
 atque alii qui citari possent, tamen
 sententiam nostram propugnarunt;
 quod est manifestum indicium, re-
 latum cl. Ballerini argumentum fir-
 mum eis visum non fuisse.

Quid ergo? concidunt ne Indicis
 decreta? Nequaquam sed firma omni-
 no consistunt. Etenim prohibiti sem-
 per manent *libri ab haereticis con-
 scripti, vel editi, aut ad eos, sive
 ad infideles pertinentes*; ideoque
 manifestorum haeticorum prohi-
 bitae manent *formulae, carmina,
 orationes, articuli* etc. At mani-
 festorum haeticorum, et infide-
 lium; eorum consequenter qui tales
 ante lectionem cognoscuntur. Quae
 autem paritas cum ephemeridibus?

Antiquae prohibitiones igitur cum
 adnexis censuris, de quibus Pius
 Papa IX in cit. Allocutione, esse
 non possunt quae in Indice libro-
 rum prohibitorum continentur.

At possunt ne esse quae habentur
 Cap. II Const. *Apostolicae Sedis*?
 Negative, nedum ob rationes
 expositas, sed quia Piana Constitu-
 tio promulgata fuit an. 1869; pro-
 hibitiones igitur cum adnexis cen-
 suris nullo pacto forent antiquae.

Quinam igitur erit sensus verbo-
 rum a Pio Papa IX prolatorum? Pro
 eiusmodi ephemeridibus quasnam
 leges et censuras confirmavit?

Sincere respondemus. *Nescimus*.
 Allocutionis illius pars, quae nostra
 interest, obscura est, incerta est;
 nescitur scilicet ad quam legem et
 prohibitionem referatur; indiget con-
 sequenter authentica declaratione;
 atque hac unica de causa obligare
 sub excommunicationis poena non
 potest.

Haec autem ea in hypothesi dis-
 putavimus, qua quis arbitretur
 allocutionem illam officialem esse
 et vim legis habere.

Attamen id nos omnino negamus,
 tum quia nullo pacto decernit, vel
 insinuat quas antiquas prohibitiones
 et censuras confirmare intendat;
 tum ob aliquod indicium intrinse-
 cum et extrinsecum; tum ob de-
 fectum necessariae promulgationis;
 tum demum quia allocutio illa uti
 lex nec spectata nec habita fuit.

Primum ex dictis patet: Allocu-
 tione cit. Pontifex confirmat leges
 et prohibitiones antiquas; ipsius
 ergo erat expressis verbis indigi-
 tare quasnam vellet prohibitiones
 confirmare; praesertim cum in tri-
 bus relatis prohibitionibus diversa
 habeatur sanctio. Etenim si perni-
 ciosas ephemerides concludere vo-
 luit sub Cap. II Const. *Apostolicae
 Sedis*, excommunicatio est speciali
 modo summo Pontifici reservata;
 si sub regulis Indicis, excommu-
 nicatio nedum nulli erat reservata,

sed nec de cetero vigeat; si sub literis circularibus Em̄i Urbis Vicarii, lectores gravi quidem peccato, sed nulla excommunicatione obstricti tenebantur. (1)

Insuper ne vim legis allocutioni praedictae tribuamus, exigunt indicia quaedam. Etenim si allocutio illa habet vim legis, eandem habebunt vim allocutiones omnes a Pio IX habitae, in quibus aliquid approbavit aut confirmavit, quaeque et in publicis ephemeridibus evulgatae fuerunt, et in plura volumina collectae a De Francis. Id autem potest ne prudenter affirmari?

De cetero in hac ipsa allocutione Summus Pontifex subdit. « Eam » condemnationem quam merentur » ephemerides, merentur similiter » quaedam scenicae recitationes, » quaedam publica spectacula quae » menti caliginem offundunt, animumque pervertunt spectantium, » iuvenum praesertim, quorum cor » facilius corruptioni est obnoxium. » (2)

Ergo proclamabimus ne Pium Papam IX excommunicationi subdidisse eiusmodi scenica spectacula et quoniam de ipsis nec in regulis Indicis, nec in Constitutione Apostolicae Sedis sermo habetur aut

(1) Exinde sequeretur quod quamvis cit. Allocutio vim legis haberet, quoniam est obscura et dubia, et semper in dubiis et obscuris benignior interpretatio est facienda. L. Semper ff. de regulis iuris; lectores eiusmodi ephemeridum incurrerent excommunicationem Indicis, minime latam Cap. II Const. Apostolicae Sedis, et Romano Pontifici speciali modo reservatam.

(2) De Francis, Discorsi del Sommo Pontefice Pio IX, Vol. III, pag. 448.

mentio, dicemus ne, Pium Papam IX renovasse antiquos canones qui ob scaena spectacula excommunicatione percellerant, Canonem scilicet 62 Concilii Eliberitani habiti anno 305? Aut Canonem quintum Concilii Arelatensis an. 314 celebrati? Aut canonem 29 Concilii Lateranensis II, quod habitum fuit anno 1139? Nemo profecto id erit affirmaturus. Attamen Pius Papa IX dicit eiusmodi scenicas recitationes eandem mereri condemnationem ac perniciosas ephemerides.

At haec omnia transeant. Ad quos habita haec allocutio fuit? Ad socios activos principalis Societatis Romanae pro catholicis rebus. At lex habetur et dirigitur tantum ad unam personarum classem? Quis hanc legem promulgavit? Quibus in locis affixa fuit? Insuper promulgata ne fuit de mandato Pontificis? Habet ne in se requisita necessaria ad authenticam promulgationem? Maxima vel saltem maior catholicorum pars eam ne putavit actum pontificia auctoritate latum? Inserta ne aliquando fuit in corpore legum Papalium?

Non inficiamur utique, legum promulgationem, quantum ad substantiam attinet, pendere a voluntate legislatoris; sed neque negari

hibitione cui censurae sint adnexae; ergo lectores eiusmodi ephemeridum nulla excommunicatione tenentur.

Quid igitur? num ne etiam gravi culpa excusabantur? Minime. Etenim lectio perniciosorum librorum sicut et ephemeridum ipso naturae iure prohibetur, tum divino et ecclesiastico, ut patet etiam ex epistolis circularibus Em̄i Urbis Vicarii iam recitatis; consequenter a gravi peccato libros et ephemerides perniciosas sine legitima facultate legentes excusari non possunt.

Et haec quidem satis esse possent. Attamen ad absolutionem huius Capituli adhuc duo expendenda censemus.

1°. Utrum Christi fidelibus sive laicis, sive ecclesiasticis qui gaudent apostolica facultate legendi et retinendi libros in Indicem relatos, liceat legere aut retinere ephemerides ab Episcopis in sua Diocesi nominatim prohibitas?

2°. Utrum ephemerides ex se censurae Ordinarii loci quo eduntur sint adhuc obnoxiae, vel eidem, ob circumstantias temporum, subtractae existimari debeant?

Antequam ad primam quaestionem respondeamus, praemittimus, Episcopos leges et mandata condere posse pro suis tantum subditis, aliosque non subditos eorum legibus non obligari: consequenter dum loquimur de Christi fidelibus quibuscumque qui facultate pollent

potest, quicumque sit promulgationis modus a legislatore adhibitus, constare debere de authenticitate ipsius; subditos scilicet certos esse debere de existentia legis latae, sancitae, et promulgatae de voluntate et de mandato Legislatoris; at id minime constat, et nescimus quibus argumentis constare posset. Nulla insuper ratio apparet quare Legislator solitum promulgationis modum praetermiserit.

Demum certum est, Catholicos Allocutioni illi vim legis non tribuisse, constat infra Acta S. Sedis non fuisse recensitum, neque ab ipsis Redactoribus Actorum Sanctae Sedis, qui et Romae erant, et Romae scribebant et scribunt, quique certe allocutionem illam noverant; constat maiores numero et praecipuos inter commentatores Const. Apostolicae Sedis Allocutioni praedictae vim legis minime tribuisse, sed neque Romanos doctores atque theologos; idque sub oculis Pontificis, Romanarum Congregationum Eminentissimi Urbis Vicarii, et Magistri S. Palatii Apostolici. Quo igitur argumento Allocutioni Pianae vim legis tribuemus? Ad summum, ut liberales prorsus simus, est lex dubia; *At lex dubia non obligat.*

Porro ex dictis haec constare videntur, ephemerides propugnantes haeresim non comprehendi sub Cap. II. Constit. Apostolicae Sedis neque sub prohibitionibus et censuris latis in Indice librorum prohibitorum, sed neque sub alia pro-

legendi libros prohibitos, de illis loquimur qui respective subsunt auctoritati Episcopi loci quo ephemerides eduntur.

Quibus praemissis ad quaestionem propositam respondemus *negative*.

Revera 1°. Certum ita est, ut probatione non indigeat, christianum quemlibet obstringi tum legibus generalibus Ecclesiae, tum specialibus latis a propriis Episcopis. At certum pariter est iuridicum axioma, quod *cuius est legem condere eius est etiam illius obligationem remittere*, quae obligationis remissio concedi etiam potest ab iis qui aequalem potestatem habent cum eo qui legem condidit: *Generalis regula est*, dicunt esacrorum anonum tractatores, *legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum qui parem cum iis qui legem condiderunt, potestatem tenent*. Nihil igitur ab iis qui auctoritatem vel aequalem vel superiorem habent, dispensetur in lege Episcopi, subditi eius legibus obstricti manent.

At Romanus Pontifex dum facultatem legendi libros prohibitos alicui concedit, minime censendus est dispensare in legibus particularium Dioecesium. Etenim dum a legibus particularibus alicuius Episcopi aliquem dispensare intendit, id exprimere solet *verbis explicitis* vel *aequipollentibus*; si igitur in pontificia facultate haec explicita declaratio desit, dicendus est Pontifex legem Episcopi intactam et in sua vi relinquere.

Id autem luculentissime patet ex facultatibus quas S. Sedes aliquando confessariis concedit absolvendi ab omnibus casibus reservatis; quae tamen facultates nullo pacto comprehendunt casus reservados ab Episcopis in respectiva dioecesi, ut constat tum ex *Const. Pias Christi fidelium* edita a Benedicto XIV sub die 21 Augusti 1752, qua §. 3 etc., limitat facultates concessas confratribus S. Mariae de Succursu: et *praeterquam in casibus nobis et Sedi Apostolicae dumtaxat, non vero etiam Ordinariis locorum reservatis, nisi eorundem Ordinariorum licentia respective accedat*, tum ex facultatibus quas S. Poenitentiaria concedit, quibus praecipitur: *et abstinere ab absolventibus a casibus reservatis locorum Ordinariis, nisi facultatem ab eisdem obtinueris*; tum ex aliis documentis quae lectoribus nostris notissima sunt.

Cum igitur expresse intentio Romanorum Pontificum sit intactas servare leges singularium dioecesium, nisi et ab iis dispensationem *explicita* concedat, nullo modo putare debent qui facultatem legendi et retinendi libros prohibitos obtinere, sese facultatem obtinuisse legendi et retinendi libros aut ephemerides a respectivis episcopis in sua Dioecesi prohibitas.

3°. Quod etiam patet ex quo facultas legendi libros prohibitos restringitur ad libros contentos in Indice. At libri et ephemerides pro-

hibitae in singulis Dioecesium in Indice non continentur; nec ergo contineri possunt in facultate generali legendi libros prohibitos.

4°. Praetermittimus doctorum consensum in re exploratissimum.

Exinde corrumpitur illud argumentum quo aliqui dicunt apostolicum indultum legendi libros in Indicem relatos extendi posse ac debere ad speciales etiam prohibitiones, quae eduntur ab Ordinariis in eorum Dioecesium, tum quia facultas conceditur a suprema auctoritate, tum quia eadem facultas utpote generalis comprehendit quoque casus particulares, iis tantum exceptis, quae in ipso Pontificio rescripto excipiuntur.

Respondemus enim ad 1 quod cum soliti sint Romani Pontifices explicitis verbis vel equipollentibus declarare, utrum in casibus etiam sibi ab Episcopis reservatis, vel in ipsorum legibus dispensent; nisi adsit eiusmodi declaratio, dispensare censendi non sunt; indultum ergo concessum etiam ab Suprema auctoritate iuxta consuetas regulas limitandum est.

Eodem argumento subvertitur id quod subditur, scilicet facultate generali comprehendi etiam casus particulares; nisi scilicet consuetudine, vel agendi ratione a concedentibus facultatem generalem adhibita contrarium constet. Porro id constat; in facultatibus enim quae conceduntur a Rom. Pontifice per S. Indicis Congregationis Secreta-

rium legendi libros quoscumque prohibitos, si intelliguntur qui per eandem S. Congregationem in Indicem relati sunt, non alii ab Episcopis prohibiti, qui saepe saepius quinam sint nesciuntur. Neque exinde deduci posset, quod si ita est, facultas illa generalis non sit. Etenim generalis est quantum ad libros in Indice relatos, pro quibus facultas conceditur. Raro deinde Episcopi libros prohibent; sed id curant ut vel ad Supremam Inquisitionem, vel ad Eum Praefectum, aut Secretarium S. C. Indicis illos denuncient, ut generali prohibitione e manibus fidelium illos eripiant: secus prohibitio episcopalis unos subditos adstringeret.

Ad secundam quaestionem affirmative respondemus.

Nulla enim lex promulgata fuit, qua dispositio disciplinaris subiiciendi censurae libros aut scripta quaelibet edenda, contenta in regula X Indicis, abrogata fuerit. Etenim 1°. Constitutio *Apostolicae Sedis* abrogavit quidem excommunicationem ea regula illatam, at minime id quod ad disciplinam spectat, cum de eiusmodi re non sit Constitutio Piana sollicita, neque praeceptum subiiciendi censurae auctoritatis ecclesiasticae scripta quaelibet edenda quid habet commune cum excommunicatione addita; quare ex huius abrogatione inferri nequit abrogatio illius. 2°. Magister Sacri Palatii Apostolici, sicut prius, ita et nunc sibi reservat scri-

pti cuiuslibet censuram antequam typis evulgetur, minime exclusis periodicis etiam religiosis, etiam periodico nostro, qui inscribitur *Acta S. Sedis*. Atque quod Romae peragit Magister S. P. Apostolici, in respectivis Dioecesibus peragunt

Episcopi. Quin imo si ad S. Congregationem Indicis liber aliquis deferatur, primum quod quaeritur est, an Episcopi auctoritate fuerit typis editus. Ex quibus sequitur, tum de iure, tum de facto scripta quaelibet submittenda esse Episcopi censurae.

EMENDATIONES

IN COMMENTARIIS INSTITUENDAE

EMENDATIO IN APPENDICEM VI.
Tom. 1. pag. 259.

Eo in Capite actum a nobis est de excommunicatione lata in *Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: itemque edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.*

Scripsimus autem, per verbum *cogentes* intelligendas esse personas quaslibet etiam privatas, quae sive directe, sive indirecte in causa criminali, ex. gr. furti, homicidii etc., vel civili, ex. gr. solvendae pecuniae, iudicem laicum compellerent, mediante accusatione, aut citatione, ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.

« At per eiusmodi excommunicationis innovationem, ita scripsimus *pag. 263*, non tam respicere » voluisse Principes laicos, vel Deputatos Parlamenti edentes leges » vel decreta contra libertatem aut » iura Ecclesiae, quam personas » particulares, quae fuissent abusae » latis legibus contra viros Ecclesiae, res est manifesta etc. » Atque sententiam nostram non spernendis argumentis nos probasse existimabamus.

Verum neque vera neque solida ea visa sunt Supremae Inquisitioni, a qua die 23 Ianuarii an. 1886, sequentes litterae circulares in re promulgatae fuerunt, quas nos describimus ex *Actis S. Sedis Tom. 18. pag. 416.*

« Illū ac Rm̄e Domine.
« In Constitutione Pii IX s. m. quae » incipit: *Apostolicae Sedis mode-*

» *rationi* IV Idus Octobr. 1869, » cautum est, excommunicationem » Romano Pontifici reservatam speciali modo incurrere. — *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, item edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae.*

« Cum de vero sensu et intelligentia huius Capitis saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis, non semel declaravit, Caput *Cogentes* non afficere nisi Legislatores et alias Auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit; ideoque S. haec Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit.

« Ceterum in iis locis in quibus » fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in » eis non datur iura sua persequi » nisi apud iudices laicos, tenentur » singuli prius a proprio ipsorum » Ordinario veniam petere ut Clericos in forma laicorum convenire possint, eamque Ordinarii » numquam denegabunt, tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra o-

» peram dederint. Episcopos autem » in id forum convenire absque » venia Sedis Apostolicae non licet. » Et si quis ausus fuerit trahere » ad iudicem seu iudices laicos vel » Clericum sine venia Ordinarii, » vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit Clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint.

« Interim fausta multa ac felicia tibi precor a Domino.

« Datum Romae die 23 Ianuarii » an. 1886.

« Addictissimus in Domino
« R. Card. Monaco. »

Atqui ex relato decreto manifestum fit, actores contra personas ecclesiasticas quamvis episcopali dignitate fulgentes, nullimode incurere excommunicationem in citato Capite latam, etiamsi in loco privilegio Fori per Summos Pontifices derogatum non fuerit.

2°. Eos tamen, si huiusmodi Fori privilegio derogatum non fuit, dum personam ecclesiasticam in iudicium trahere coram saecularibus iudicibus putant, teneri veniam petere ab Ordinario, si persona trahenda in iudicium clericus fuerit, ab Sede Apostolica, si Episcopus.

3°. Ad hanc tamen veniam petendam actorem non teneri, si privilegio fori per Summos Pontifices fuit derogatum.